



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus IX. Ne sede vacante aliquid innovetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

in c. inter cætera, de præb. circa finem. Jo. And. in c. cum M. de constit. num. 11. Fagn. ibid. num. 62. & 63. Sed neque ex eo conficitur promissionem factam ab Episcopo de vacatura proxime præbendæ esse validam, & obtinere vim obligandi, quod c. relectum, de præb. Papa sic rescribat Episcopo: ei præbendam si qua nunc vacat, vel cum ibi primò vacaverit, secundum promissionem tuam concedas liberaliter: quam promissionem Gl. ibid. v. in promissis. ait valere. nam glossam illam esse contra communem opinionem, à qua non sit recedendum, ait Fagn. l. c. num. 59. etsi autem Papa mandet ei conferri præbendam juxta promissionem, non tamen id facit, quia jus aliquod recepto in Canonicum per eam quæsitum, sed ad majorem aggravationem Episcopi reculantis illi conferre præbendam, ponderat illam promissionem, ut norant. Abb. in c. dilectus filius de præb. num. 5. & Fagn. ubi ante num. 62. apud Reiffenst. b. t. n. 84. de cætero an & qualiter talis Canonicus supernumerarius ante obtentam præbendam habeat stallum in choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas recipiat. Vide apud eundem Reiffenst. a num. 85.

Quest. 73. An Episcopus aliusve collator ordinarius delegare seu concedere possit alteri facultatem conferendi beneficium proximè vacaturum?

Resp. Tametsi, postquam vacat beneficium, collator ordinarius possit alteri conferre potestatem conferendi illud, ut cum communi Pirh. h. t. num. 9. licet etiam Vicario suo generali Episcopus possit committere facultatem conferendi beneficia vacatura sive per obitum, sive resignationis aliavè de causa; tum quia Vicarius est persona qualificata, tum quia constituit unum cum Episcopo tribunal Castrop. tr. 13. d. 3. p. 5. num. 3. Non potest tamen eadem, multo que minus alteri personæ singulari seu privatæ (utpote cui nequidem omnium beneficiorum vacaturorum in genere collationem committere potest, juxta c. deliberatione, §. prohibemus. de off. leg. in 6. & Castrop. l. c. Garc. p. 1. c. 1. num. 9. Sc.) committere collationem respectu tertii beneficii vacaturi, aut respectu certæ personæ juxta. c. constitutus. b. t. & Abb. ibidem num. 5. Laym. in c. 3. de off. Vicar. in 6. num. 3. possit enim quis tertius abuti hac facul-

tate in fraudem Concilii Lateran; dum nimirum quis certum beneficium obtinere volens, tubornare posset amicum, ut impetraret ab Episcopo facultatem illud beneficium, cum vacaret, conferendi, & sic spe fretus, quod amicus illud sibi esset collaturus, posset captare & machinate mortem beneficiario, cui ipse succederet. Pirh. l. c. cum Abb. l. c. n. 3. Porro qualiter à patrono cuique concedi possit facultas nominandi seu præsentandi ad vacatura illius juri patronatus subiecta, vel etiam ad unicum, cujus solius esset patronus, vide apud Castropalaum. & apud me. for. benef. p. 2. ubi actum de potestate patroni & præsentatione.

Quest. 74. Quæ sint pænæ patientis sibi providendi de beneficio necdum vacante?

Resp. Primò: non solùm collatio beneficii necdum vacantis est irrita, sed etiam, qui scienter illam acceperit, seu permisit se in eo institui, in pœnam hujus suæ temeritatis, non potest deinceps, ubi vacaverit, sine Apostolica dispensatione obtinere, sicut, vivente marito contraxit cum ejus uxore matrimonium de facto, non potest, etiam eo mortuo eam ducere juxta. c. fin. de eo qui duxit in uxor. & si is impetret beneficium illud à Papa, non facta mentione prioris intrusio- nis & illegitimæ institutionis suæ, vi cujus inhabilis redditus ad illud beneficium obtinendum, provisio illa Apostolica non valeat tanquam subreptitia. Abb. in c. 1. h. t. num. 3. Pirh. h. t. num. 3. Arg. c. super literis. & c. postulasti. de rescrip. Secus est, seu valet ea provisio in hoc casu, si facta motu proprio. Wiestn. h. t. num. 9. Arg. c. si motu. de præb. Altera pœna illius est, quod ab ecclesiastica communione (hoc est, participatione corporis & sanguinis domini) sit removendus, pro ut statuitur. c. 1. h. t. junctâ Gl. v. communione. & insuper deponendus juxta. c. cum qui. 7. q. 1. Gl. in cit. c. 1. v. pellendi. Barbos. ibid. num. 1. citans plures alios. Excusatur tamen ab his pœnis, qui famâ percrebrescente de morte, beneficium viventis impetravit. Barbos. l. c. num. 2. eum Mascard. de prob. concl. 1070. num. 2. Sed neque hæc pœnæ extendendæ ad eum, qui succedit in beneficio viventis justâ causâ ab eo depositi. Gl. fin. in cit. c. 1.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

Titulum hunc à me ex professo explanatum speciali tractatu: de Capitulo Sede vacante vide in Vicario Episcopali. à q. 445. ad q. 620. quorum hic breve compendium do. Unde sit

Quest. 75. An & qualiter administratio & jurisdictio Episcopalis transeat ad Capitulum Sede vacante?

Resp. Penes Capitulum Cathedrale Sede vacante, tam propriè, hoc est, sive per mortem, sive per renunciationem, R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

sive translationem Episcopi, quàm impropriè, seu quasi vacante, nimirum Episcopo in captivitate redacto, aut in remotis degente, nullo relicto Vicario, est administratio & jurisdictio veluti ejus successorem vide me. l. c. q. 447. quod

num exinde etiam dicendum Vicarius Episcopi, dixi q. 448. Idem esse de Capitulo vacantis Ecclesie non cathedralis, omnimodè tamen exemptæ. Item de Capitulo Ecclesie collegiatæ, quæ est titulus Cardinalis, eo defuncto, dixi q. 449. § q. 450. An verò sic etiam transeat iurisdictione ad Capitulum ecclesie collegiatæ alterius non exemptæ vacantis, saltem, dum ejus Præpositus vel Decanus habeat iurisdictionem annexam suæ dignitati in ea ecclesia & capellis annexis, & in ejus clericos privativè seu excluso Episcopo, controvertunt AA. utriusque partis sententias unà cum rationibus retuli. q. 451. Non transire iurisdictionem ad Capitulum ecclesie regularis non exemptæ, Prælatum vacante, sed ad Episcopum, cui subiecta, & quod, si hic administratorem nullum constituat, posse Priorem vel Seniores tantisper gubernare alios eisque præcipere, et si iurisdictionem propriè non exerceat, dixi. q. 453. ut nec ea transit ad Capitulum, Episcopo vel Prælato alio exempto excommunicato, suspensio, sed recurrendum ad Papam, qui providebit interea de administratore, Episcopo tamen lapsio in hæresin devolvitur ea ad Capitulum, utpote Sede tunc, non interpretativè, sed verè vacante. ut dixi. q. 454.

Quest. 76. In qua iurisdictione, & in quibus succedat vel non succedat Episcopo Capitulo?

I. Resp. Ad primum: Capitulo succedit Episcopo in iurisdictione tam temporalis, quam spirituali eaque tota, exceptis iis, quæ jus commune excipit, aut Papa specialiter interdicit, ut dixi, q. 456. § q. 457. An verò succedat ei in iurisdictione tam contentiosa seu necessaria, quam in voluntaria seu gratiosa, controvertunt AA. quorum sententias retuli. q. 458.

2. Resp. Ad secundum: non succedit in iis, quæ Episcopo iure speciali competunt, et si aliàs sint iurisdictionis; limitantibus tamen id aliis. q. 459. Contrarium est, seu succedit in iurisdictione, quæ ex consuetudine competit Episcopo ut Episcopo; uti & in iis, quæ ex privilegio in perpetuum concessio competunt Episcopo. q. 460. An & qualiter succedat in iurisdictione delegata, diversimodè & confusè satis explicant AA. de quo vide me. q. 461. In eo melius conveniunt, quod non succedat Episcopo in iis, quæ competunt seu concessa sunt Episcopo alterivè Prælato speciali iure ratione dignitatis; uti nec quo ad facultatem interveniendi alicui alteri, aut præbendi de necessitate consilii, Ego. q. 462. § q. 463. Neque in iurisdictione, quam Episcopus simul cum alio distincto à Capitulo exercebat. q. 464. Illud indubitatum, quod non succedat in iis, quæ sunt Ordinis Episcopalis; quamvis ea committere possit alteri seu exercere per alium q. 466. Non succedit in emolumentis provenientes ex iurisdictione, sed ea reservantur Episcopo successori. De quibus tamen emolumentis id intelligendum, vide q. 465.

Quest. 77. An & qualiter Capitulo condere possit statuta?

Resp. Capitulo Sede vacante majore pollens potestate quam Vicarius Episcopi, ut dixi

q. 470. cum Laym. in c. cum generali. de off. Vicar. in 6. Sbroz. & aliis, potest condere statuta, non tantum de rebus pertinentibus ad Capitulum. V. g. qualiter congregari debeat, vel distributiones dividi, ut Barbos. juris. eccles. l. 1. c. 32. num. 7. &c. cum etiam Sede plena absque consensu Episcopi id possit. Pignatel. Tom. 10. conf. 138. à num. 16. Castrop. tr. 7. d. 1. p. 23. num. 26. Ego. cit. q. 470. Sed etiam tanquam successor Episcopi super competentibus Episcopo ratione iurisdictionis (non tamen in competentibus illi iure speciali) & omnibus pertinentibus ad gubernationem Ecclesie, & cultum divinum promovendum; item obligantia totam diæcesin, quæque de se sint perpetua & duratura etiam accedente Episcopo novo; quamvis is ea pro libitu, non secus, ac aliorum suorum prædecessorum statuta revocare possit. Ea tamen, quæ tangunt totum statum ecclesie, vel sunt de rebus arduis, sicut aliàs Sede plena sine consensu Episcopi, sic etiam Sede vacante Capitulo videntur non posse decernere. Potest insuper juxta dicta à me. q. 471. Capitulo statutorum suorum transgressores punire, utpote quod necessarium est ad legis seu statuti executionem.

Quest. 78. An possit de delictis inquirere, ea cognoscere & punire?

Resp. Potest Capitulo Sede vacante, etiam extra visitationem de delictis contra certas personas inquirere (etiam syndicando tam suos, quam defuncti Episcopi Officiales, ut dixi. q. 473. etiam cognoscere de causis suspicionum propositis contra suum Vicarium, ut dicitur. q. 474.) item cognoscere aliorum causas judiciales, etiam criminales. et in specie de crimine hæresis, procedere contra hæreticos non exemptos. Punire crimina & excessus, etiam devenire ad degradationem clerici verbalem; non tamen ad actuale & solennem. Quin & cum secularibus ad pœnam capitis, ubi hæc suprema iurisdictione annexa Episcopatu. q. 475.

Quest. 79. An possit ferre censuras, & ab iis aliisque casibus absolvere?

Resp. Ferre censuras, & nominatim excommunicare quatenus id poterat Episcopus, suspendere ab officio & beneficio (non tamen juxta aliquos suspensione perpetua aut diurna) & interdicare potest Capitulo. q. 473. Potest etiam absolvere ab excommunicatione ceterisque censuris, ubi id poterat Episcopus. q. 476. item ut dicitur. q. 477. absolvere in foro conscientie à quibus cunque casibus occultis Papæ reservatis, & in specie ab hæresi, & consequenter à reservatis Episcopo.

Quest. 80. An & in quibus casibus dispensare possit, vel etiam aggravare, & indulgentias concedere?

I. Resp. Ad primum: dispensare potest in irregularitatibus, & in casibus omnibus, in quibus poterat Episcopus, & consequenter in votis, juramentis, cum illegitimis ad Ordinis minores & beneficium simplex q. 478. § 479. Qualiter verò

verò dispensare possit in interstitiis ordinum non nisi in iis casibus, in quibus dare potest dimissorias, & non nisi cum arctatis intra primum annum vacantiæ, vide *qu. 480.*

2. Resp. Ad secundum & tertium: Capitulum Sede vacante potest aggregari, seu pœnam post latam à se vel defuncto Episcopo sententiam remittere; cum id pertineat ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, aliis contrarium tenentibus. *qu. 481.* Sic etiam juxta probabiliorum concedere potest indulgentias; eò quòd id sit actus jurisdictionis.

Quæst. 81. Quid possit circa approbandos & reprobandos confessarios?

R Esp. Potest approbare confessarios. Idque extendendum ad Capitulum inferiora, quorum Prælatus exemptus jurisdictionem episcopalem habebat in populum fidelium, secus, si non habebat illam in populum sæcularem. *q. 483.* Sic etiam semel approbatus à defuncto Episcopo Sæculares revocare potest ad examen, & inventos idoneos reprobare. Idem quantum est de jure communi, potest circa regulares, quò minus tamen id possit, obstant eorum privilegia, quæ tamen non obstant, quin id possit Episcopus Successor defuncti. *qu. 484.*

Quæst. 82. Quid possit quo ad Cognitionem Causarum arduarum, matrimonialium, feudalium?

R Esp. Cognitione quarumcumque causarum ecclesiasticarum quò ad primam instantiam transit ad Capitulum. *qu. 485.* Potestque cognoscere arduas, & inter has etiam causas matrimoniales, non tamen, si quæ fuissent specialiter delegatæ Episcopo ejusve Vicario; uti nec alias valde arduas. *qu. 486.* Sed neque cognoscere potest causas feudales, aut etiam infeudare, seu novas investituras concedere, vel veteres renovare, vel feudalitatis juramentum à feudatariis recipere: Secus tamen, si feudum spectaret ad Episcopum & Capitulum simul. *qu. 788.*

Quæst. 83. Quid possit quo ad assistendum Matrimonio?

R Esp. Potest assistere matrimonio, alterique ut ei assistat, dare licentiam. *qu. 487.*

Quæst. 84. Quid possit quo ad ultimas Voluntates & Additionem Hereditatis?

1. R Esp. Ad Primum: Potest exequi, imò & commutare ultimas voluntates defunctorum, quatenus id jure ordinario competeat Episcopo; secus, si jure speciali. Sic etiam potest compellere alios executores ad exequendum testamenta intra annum, & iis negligentibus, illud per se exequi potest. Item compellere executores piorum voluntatum, etiam religiosos ad dandas rationes executionis. *qu. 489.* Uti & exigere rationes ab administratoribus piorum locorum. *qu. 490.*

2. Resp. Ad Secundum: Adire hæreditatem ecclesiæ legatam potest, quam tamen Episco-

pus Successor, ubi damnosam reperit Ecclesiæ, poterit is beneficio restitutionis in integrum eam repudiare. *qu. 491.*

Quæst. 85. Quid possit circa Alienationem bonorum Ecclesiæ & litigandum super iis?

1. R Esp. Ad Primum: Potest quidem Capitulum autorizare alienationem bonorum ecclesiæ inferioris in casu, quo id poterat Episcopus. *qu. 492.* non tamen donare jura Episcopatus, aut alienare bona immobilia aut mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt (secus est de bonis mobilibus, quæ servando servari possunt; ea enim ab illo distrahi possunt, etiam sine autoritate superioris) ecclesiæ vacantis, aut ea ad suam mensuram transferre (uti nec bona seu emolumenta obvienia ratione jurisdictionis Sede vacante, spectantia alias ad Episcopum inter se dividere aut absumere de quo & illius limitatione *q. 499.*) aut quicquam immutare, quòd Episcopo futuro cederet in præjudicium. Nisi fortè alienatio cederet in magnam ecclesiæ utilitatem, & tunc daretur ecclesiæ defensor, præmissis tractatu & cognitione causæ. Aut ingrueret Casus maximæ necessitatis, ut neque alienatio differri posset ad futurum Successorem, neque recurri ad Papam. De cætero extra dubium est, quin possit vacantis Episcopatus bona transferre, accedente autoritate Papæ, & dato ab eo ad hoc defensore jurium & bonorum Episcopatum. Citra quam autoritatem si facta alienatio, potest Episcopus Successor eam rescindere, vel, si cedat in utilitatem ecclesiæ, eam confirmare. Regulariter autem, Capitulum Sede vacante occupante vel dilapidante bona ad ecclesiam vel Successorem spectantia, Canonicos ab officio & beneficio suspendi, usque dum ea restituant, ajunt plures. Uti hæc omnia dixi & AA. testimoniis stabilivi. *qu. 493.*

2. Resp. Ad Secundum: Sed neque Capitulum Sede vacante & carente legitimo defensore, licet super ecclesiæ bonis & juribus inchoare, aut à Prælato defuncto inchoatam, sive agendo, sive respondendo prosequi potest. Secus est de Capitulo Ecclesiæ inferioris vacantis, quòd, interveniente autoritate episcopali, potest in judicio agere super bonis & juribus suis, maxime, ubi vacantia diutius duratura. Et hæc intelligenda de bonis & juribus propriis Episcopo seu Prælaturæ, aut eidem & Capitulo communibus, controversiis, exigentibus cognitionem definitionemque judicialem; secus est de bonis privativè ad Capitulum spectantibus. *qu. 494.* uti nec judicare potest de causis pertinentibus ad Episcopum super proprietate alicujus certii juris seu jurisdictionis. *qu. 495.*

Quæst. 86. Quid possit Capitulum circa accipiendum mutuo pecuniam, & exigendum subsidium caritativum?

R Esp. Non potest accipere mutuo pecunias, eoque nomine obligare ecclesiam, nisi fortè pro necessitatibus ecclesiæ vacantis dilationem non patientibus. *qu. 497.* Quemadmodum etiam in eo casu, non extra illum, postulare potest subsidium caritativum; quòd tamen statuto suo aliavè dispositione minuere nequit; quin etiam ex Casu
F 3
fionicis,

nonicis, qui jurarunt desuper, electus dein in Episcopum, illud non diminutum exigere potest. *quest. 498.*

Quest. 87. Quid possit circa visitationem, & dandam licentiam monialibus egrediendi monasterio?

R Esp. Ad primum: Visitare potest, non tantum particularem ecclesiam, sed etiam totam diocesim simpliciter & indistinctè, sicut potest Episcopus, & quolibet anno durante vacatione per plures annos, non expectato triennio. *qu. 501.* Idque per Vicarium suum generalem, qui id poterit sine speciali ad hoc accepta à Capitulo commissione; aut etiam per specialem ad hoc munus visitandi deputatum visitatorem *qu. 502.* An verò Capitulum Sede vacante visitare possit exemptos, & maxime monasteria exempta monialium, controvertunt AA. utriusque sententiæ fautores & fundamenta retuli, *qu. 503.* pro affirmativa adducitur, quod, dum muneri episcopali aliquid jurisdictionis tanquam Sedis Apostolicæ Delegato in perpetuum committitur; ut deinceps ex officio Episcopi competat, ea potius sit jurisdictio ordinaria quam delegata, adeoque transeat ad Capitulum Sede vacante. Oppositæ sententiæ fundamentum est omnino contrarium, nempe quod in casibus, in quibus conceditur Episcopo (etiam in perpetuum) ut procedat tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, non sit facultas ordinaria, adeoque non transeat in Capitulum. De quo fundamento supra, ubi, quod Capitulum succedat in jurisdictione ordinaria. ex quo fundamento facile hi AA. solvunt adducta in contrarium.

2. Resp. ad secundum juxta jam relatas sententias oppositas, nimirum Capitulum Sede vacante non posse monialibus exemptis concedere licentiam egrediendi monasterio, si id ipsum possit Episcopus facultate purè seu tantum delegata sibi. Secus, si id spectet ad potestatem illius ordinariam, vide me. *qu. 504.* Dare autem posse Episcopum licentiam ingrediendi monasteria monialium (intellige ex causa rationabili) communius tenent AA. quia censent id spectare ad jurisdictionem ordinariam Episcopi. *qu. 505.*

Quest. 88. An Capitulum dare possit licentiam novitiis, ut intra duos menses ante professionem disponere possint de bonis suis?

R Esp. Affirmativè, *qu. 506.*

Quest. 89. An Capitulum dare possit clerico licentiam transeundi ad alienam diocesim, dum fortè ibi adipiscitur beneficium?

R Esp. De hoc controvertunt AA. negantes pro fundamento habent, quod Capitulum Sede vacante alienare nequeat bona & res ecclesiæ, adeoque multo minus personas. Probabilius id affirmantium fundamentum est, quod id spectet ad jurisdictionem Episcopi ordinariam, & talis translatio clerici non sit propriè alienatio rerum Episcopatus. vide *qu. 507.*

Quest. 90. Quid possit circa celebrandam Synodum?

R Esp. Synodum diocesanam à Capitulo Sede vacante cogi non debere, ubi Sedes diu vacatura non esset. Possit tamen illam cogi ob ingruentem necessitatem aliquam, quæ moram non pateretur, & cui aliter occurrere non posset; non tamen extra hos casus; cum cogere Synodum sit inter res valde arduas, & de consuetudine non nisi Prælatis ecclesiarum competentes, censent aliqui, aliis contrarium sententibus, nimirum Capitulum id posse simpliciter, non secus ac Episcopus; cum non minus sit de lege ordinariæ jurisdictionis annuatim cogere Synodum quam visitare. vide *qu. 508.*

Quest. 91. Quid possit circa dandam Commissionem extraneo Episcopo exercendi Pontificalia, & dandas dimissorias?

R Esp. Ad primum: De hoc dixisse me. *qu. 509.* nimirum, quod possit id committere alicui Episcopo in diocesi vacante commoranti, aut aliunde ad hoc invitato seu accersito. Quod ipsum poterit circa ulteriorem & specificam commissionem seu mandatum Capituli Vicarius ejusdem, si est Episcopus. Potest item, etiam intra primum annum vacantiae, tali Episcopo dare licentiam in diocesi ecclesiæ vacantis ordinandi extraneos habentes dimissorias à suo proprio Episcopo vel Prælato regulari. Item ordinandi subditos suos, etiam non arctatos, habentes dimissorias à defuncto Episcopo vel Papa, vel Nuncio (qui eas etiam intra primum annum vacantiae dare potest) neque enim id prohibetur Capitulo à Tridentino aut alibi, sed solum, ne ipsum Capitulum det non arctato dimissorias intra primum annum vacantiae, in vim quarum ordinari valeat ab alio Episcopo, de quo paulò post. Neque etiam prohibet Trident. ordinari subditos talis diocesis non arctatos, non egentes dimissorias, aut iis jam aliunde instructos. Uti etiam potest Capitulum habenti facultatem à Sede Apostolica suscipiendi ordinem cum licentia ordinarii hanc licentiam intra annum primum vacantiae concedere. Potest quoque licentiam exercendi pontificalia & conferendi Ordines datam alicui Antistiti ab Episcopo defuncto revocare, non secus, ac removet Vicarium generalem ab Episcopo defuncto constitutum. Id tamen facere nequirit, ubi talis Episcopus titularis ad hoc datus fuisset ob Episcopi minorem ætatem vel non consecrationem. uti nec removere illum aut impedire, ubi is datus à Metropolitano in casu, quo is illum dare potuit. Et ubi Capitulum illam licentiam non revocavit, potest talis Episcopus titularis, etiam assumptus à defuncto Episcopo ad hoc, legitimè & absolute pergere conferre ordines subditis non arctatis intra primum annum vacantiae, sicut faciebat prius vivente Episcopo; cum ad summum prohibetur tantum Capitulo, ne facultatem illum ordinandi prius non habitam à tali Episcopo ei concedat pro primo anno vacantiae.

2. Resp. Ad Secundum: Dare potest intra primum annum subdito suo non arctato, habenti aliunde dimissorias literas testimoniales de vita, moribus, & idoneitate in ordine ad suscipiendos Ordines, quæ longè quid diversum sunt à dimissoriis. *qu. 511.* potest etiam, ut videre est apud me, *qu. 412.* quar-

quantum est de jure, concedere ei dimissorias intra primum annum vacantiae, sicut poterat id olim, adhuc hodie in locis, in quibus non est receptum Trid. sub nullius tamen privilegii aut consuetudinis praetextu non nisi auctoritate illas dare potest, ubi Trident est receptum, ne quidem ad primam tonsuram, etsi ea dicitur non esse propriae Ordo. Idque, etiam si Capitulum habeat territorium distinctum & exemptum, aut etiam, licet à Metropolitano constitutus fuisset Vicarius Capitularis; uti nec; si is, qui Episcopi defuncti fuerat Vicarius generalis, ac dare poterat dimissorias, designatus esset à Capitulo in Vicarium Capitularem, intra annum primum hoc exercitium dandi dimissorias non auctoritate continuare potest, secus, ac contingit in Vicario Papae, qui etiam statim post vacantem Sedem Apostolicam dimissorias, etiam non auctoritate, ad ordines à quocunque Episcopo suscipiendos dare potest. Mox tamen ab elapso anno liberè dare potest Capitulum dimissorias, etiam non auctoritate; uti etiam intra annum concedere eas potest auctoritate ratione beneficii recepti aut recipiendi (quales, qui dicantur, dixi. *qu. 512. num. 8.*) non tamen auctoritate alia de causa quam beneficii; ut si haberet necessario promoveri ad obtinendum gradum in Theologia, qui forte requireret actu clericatum aliumve Ordinem, ut dixi, *ibidem. num. 9.*) Porro in casibus ubi dimissorias dare licet, Capitulum per seipsum eas dare nequit (nisi forte in casu, ubi omnes Canonici propter haeresein aut metum belli, pestis &c. dilapsi convenire nequirent, & non esset Vicarius Capitularis, Canonico uno Cathedrali vel paucis remanentibus ille aut isti dare possent dimissorias) sed dare illas spectat ad Vicarium Capitularem, non nisi tamen de speciali commissione Capituli. *qu. 513.* De caetero dimissoria legitime concessa à Capitulo Sede vacante per ingressum novi Episcopi (quamvis is per edictum omnes dimissorias datas à praedecessoribus Episcopis aut Capitulo revocare possit, non tamen concessas à Papa vel Nuncio) non expirant *qu. 515.* Jam vero Capitulum, vel ejus loco Vicarius eas concedens non auctoritate intra primum annum incurrunt poenam interdicti; uti & alios in jurisdictione Episcopali succedentes, concedentes illas ipso jure suspensos esse ab officio & beneficio, ait Garc. citans alios ordinati vero in vim talium dimissoriarum constituti in ordinibus minoribus privantur privilegio clericali, praesertim in criminalibus, non tamen, ante sententiam. Constituti in majoribus ipso jure suspenduntur ab executione Ordinum ad bene placitum futuri Episcopi. Haec poena concedentium dimissorias contra decretum Tridentini etsi extendantur quoque ad eos, quibus concessa, etsi illis usi non fuerint; hodie tamen non amplius reservantur absolutio Papae. De his vide me. *qu. 514.*

Quaest. 92. Num Capitulum Sede vacante admittatur ad Comitum Imperialia?

Resp. Etsi ad ea admittatur, non tamen Capitulum Ecclesiae Archiepiscopalis, cujus Archiepiscopus ad hoc jus habet, non tamen admittitur ad electionem Imperatoris aut Regis Romanorum; cum hoc jus quibusdam Archiepiscopis Germaniae, ratione dignitatis eorum speciali jure competat. *qu. 516.*

Quaest. 93. Quid possit Capitulum quo ad Erectionem novarum Ecclesiarum & beneficiorum, & constitutum, in iis jus patronatus?

1. Resp. Primò: Fundationi & constructioni novarum Ecclesiarum & domuum seu conventuum regularium, sive mendicantium, sive non mendicantium auctoritatem seu licentiam praebere nequit Capitulum Sede vacante. *Dian. p. 8. tr. 4. resol. 68. in fine. C. de Luca. de regular. d. 26. num. 17. Ego. qu. 517.* Secus est de Ecclesiis secularibus, quae & ipsae alias ad aedificationem & dotationem sui egent superioris licentia, ut *Castrop. tr. 13. d. 2. p. 2. num. 8.*

2. Resp. Secundò: Potest quoque aedificanti vel dotanti talem Ecclesiam reservare jus patronatus seu reservationem illius consensu suo, utpote qui est actus jurisdictionis ordinariae, autorizare, & quem, cum jus patronatus regulariter subsequatur aedificationem vel fundationem, etsi fundator expressè id sibi non reservasset, autoritative consentiens in aedificationem vel fundationem, hoc ipso praebuisse censetur. *Castrop. l. c. num. 9. Garc. de benef. p. 5. c. 9. num. 71. & 79. Azor. instit. mor. p. 2. l. 3. c. 39. q. 1. Barbosa. jur. eccles. l. 1. c. 32. num. 88. & alii apud me. l. c. num. 3.*

3. Resp. Tertio: Posse quoque videtur erigere beneficia in aliqua ecclesia. Uti id sequi videtur ex jam dictis; cum sicut fundare ecclesiam, assignata ei dote, unde alatur Rector illius, est fundare beneficium, ita Superior concessa sibi ad hoc auctoritate admitens eadem veluti praebita materialia, & approbando conditionem adjacentem reservationis jus patronatus, dicitur erigere beneficium, & est causa efficiens illius. Quod ipsum potest Capitulum non secus ac Episcopus. Quamvis contrarium sentire videatur *Lotter. l. 1. q. 5. à num. 12.* eò quòd dedicatio illa temporalium pro beneficio pertineat, non quidem ad Ordinem, seu ad quasi ordinem & dignitatem Episcopi alterius Praelati habentis jurisdictionem quasi Episcopalem per territorium aliquod separatum, & usum baculi & mitrae, quae capitulo non competunt, etsi etiam alias Episcopus confirmatus non consecratus possit erigere beneficia; adeoque ea erectio non respiciat necessariò in erigente consecrationem aut benedictionem aliquam. vide me *qu. 518.*

4. Resp. Quarto: De caetero posse Capitulum jus patronatus, quod ei competit jure proprio, donare alteri loco pio vel clerico, non secus, ac alius quicumque patronus id potest, etiam non requisito superiore, extra controversiam est. An vero illud donare possit alteri laico sine consensu superioris, & praestare sibi auctoritatem quo ad hanc donationem, merito dubitatur; cum sit species quaedam alienationis juris ecclesiastici in manus laicas, & hinc etiam Episcopus ad donandum laico jus patronatus, quod quòd talis habebat, eget auctoritate superioris. Dubitatur quoque ob eandem rationem, num auctoritatem praestare possit donationi jus patronatus factae ab alio clerico alicui laico. Negat hoc Barbosa. cum Gratiano. vide me. *qu. 519.* Illud indubitatum, quod nequeat donare jus patronatus in beneficio aliis non subiecto jus patronatus, etiam spectante ad suam collationem; cum ne quidem Episcopus hac ratione sub-

jiciendo

iciendo beneficium liberum servituti, concedere possit jus patronatus. Lotter. l. 2. *quest.* 2. n. 18. Corrad. *de benef.* l. 4. c. 5. n. 8. Castrop. Barbof. Garc. juxta Trident. *Sess.* 25. c. 9. *juncta declar. S. Cong. ibid.* vide me *in foro benef.* p. 2. qu. 46.

Quest. 94. Quid possit Capitulum Sede vacante circa presentationem, institutionem, confirmationem, postulationem?

1. **R**esp. ad primum: Ubi jus patronatus spectat ad Episcopum, presentare nequit Capitulum Sede vacante. Castrop. *loc. cit.* p. 29. num. 8. Fermosin. *de capit. sed. vac. quest.* 24. n. 9. Pavin. *tr. cod. qu. 5. p. 2. num. 3. & 5.* Lambert. & plures alii, quos citavi in *Vicar. Episc. quest.* 520. Idem est de electione contra Lotter. *loc. cit.* n. 14. & 15. de utroque sententiam contrarium estque ratio, quod presentare & eligere, non tam jure communi, quam speciali & per accidens competant Episcopo quâ tali, & non spectent ad jurisdictionalia, ut vult Lotter.

2. Resp. ad secundum: Potest Capitulum Sede vacante instituere presentatos, nisi fortè id hic & nunc jure quodam speciali spectet ad alium quam Episcopum. Barbof. *loc. cit.* num. 63. Lotter. *loc. cit.* num. 21. Fagn. *in c. his qua. de major. & obed. num. 57.* Pirh. *ibid.* n. 44. & 53. Azor. Garc. &c. apud me, *quest.* 521. Spectant enim hæc ad jurisdictionem ordinariam & maximè necessariam Episcopi adeoque non continentia in se rationem donationis aut gratiæ; perque ea nulla fit alienatio, aut præjudicium Episcopo. Quod si tamen essent plures presentati, ita ut locus esset gratificationi, non posse Capitulum ejusve Vicarium uni præ altero gratificari; quia hæc gratificatio reservatur Episcopi judicio, & est actus voluntarius, censet Lotter. *loc. cit.* n. 34. contrarium sentiente Dian. p. 8. tr. 4. *resol.* 26. cum Meroll. eò quod hoc exercitium libertatis proveniat per accidens ex tacita concessione & permissione ipsius patroni, qui, cum potuisset presentare unum, presentavit plures, dando Capitulo potestatem eligendi & instituendi, quem maluerit ex presentatis.

3. Resp. ad tertium: Pari modo ob eandem rationem, & juxta eosdem AA. confirmare potest electos seu electionem, & eandem infirmare. Non tamen electo administrationem committere tantisper, donec is à superiore confirmetur. Unde etiam œconomus ad libitum alterius, etiam ab Episcopo, constitutus respectu ecclesiæ vacantis inferioris, (secus est, si de consuetudine aut jure speciali debebat deputari œconomus,) si eligeretur in Prælatum, mox cessare deberet ab administratione, ut Passerin. *de elect.* c. 33. num. 4. uti & ipse Vicarius capitularis, si eligeretur. Ego *for. benef.* p. 2. *quest.* 427. num. 3. *juncto num. 5.*

4. Resp. ad quartum: Et si affirmet Azor. p. 2. l. 2. c. 38. *quest.* 5. & alii apud Garc. p. 5. c. 7. num. 57. posse Capitulum Sede vacante admittere postulationes, modò nihil objici possit postulato, in quo is egeat indulgentia Papæ, probabilius tamen id ipsum negant alii, (utpote ante quam postulatio jus nullum tribuit postulato ad Prælaturam, uti facit electio, sed summo jure rejici possit,) habeat rationem collationis & provisionis omnino liberæ & gratiosæ; adeoque his non obstante, quod aliàs illius sit postulationem admittere, au-

jus est confirmare, modò is dispensare possit in inhabilitate, ob quam postulatus erat ineligibleis. Vide me *quest.* 524.

Quest. 95. Quid possit Capitulum Sede vacante circa collationem beneficiorum?

1. **R**esp. primò: Potestas conferendi beneficia, quæ ad liberam solius Episcopi quâ talis, seu quâ Ordinarii collationem spectat, non transit ad Capitulum Sede vacante. Fagn. *in c. cum olim. de major. & obed. num. 34.* Laym. *ibid.* n. 2. Barbof. *de jur. eccles.* l. 1. c. 32. num. 109. Lotter. l. 2. *quest.* 2. num. 26. Fermos. *loc. cit. quest.* 23. à n. 2. Castrop. *tr.* 13. d. 2. p. 29. num. 8. Azor. p. 2. l. 3. c. 38. *quest.* 1. & plures alii citati à me, qu. 525. et si enim Capitulum Sede vacante succedat in iis, quæ Episcopo competunt jure ordinario, collatio tamen beneficiorum est unus casus, isque præcipuus ab ista regula positiva exceptus per c. 2. h. t. & c. unic. *cod. in 6.* Cujus exceptionis ratio est, quod collatio hæc non sit fructus jurisdictionis, pro ut est institutio & confirmatio, adeoque et si potestas conferendi obveniat Episcopo eodem tempore, quo cætera jurisdictionalia, non tamen competat ei jure Magistratus. Lotter. *loc. cit.* num. 13. & 17. sed est fructus dignitatis Episcopalis. Castrop. Barbof. *LL. cit.* Lotter. *loc. cit.* n. 16. quin &, ut idem Fermosin. *loc. cit.* num. 4. est fructus cum honorificentia, à persona non avellibilis; fructus autem reserventur successori. Ad hæc contineat liberam donationem & meram gratiam. Et hæc; etiam si beneficium vivente Episcopo vacarit in ejus mensè, & non fuit ab eo provisum Castrop. *loc. cit.* Fermos. *num.* 18. Item, etiam si collatio spectaret ad Episcopum, non faciendâ tamen ab eo sine consensu & consilio Capituli; cum hic consensus non faciat, ut collatio sit communis Capitulo & Episcopo. Barbof. *loc. cit.* num. 10. Molin. *de just. tr.* 5. §. 11. num. 9. & 13. ratione cujus communionis potestas conferendi tota transit ad Capitulum Sede vacante. Molin. *cit.* n. 13. Fermosin. *loc. cit. quest.* 24. num. 5. Castrop. Barbof. *LL. cit.* & alii, apud me, *quest.* 525. num. 4.

2. Resp. secundò: Sed neque Capitulum Sede vacante conferre potest beneficia debita conferri certi generis personis, puta graduatis, consanguineis fundatoris &c. Coral. *de benef.* p. 1. c. 7. n. 5. Dian. &c. loquentes in genere. Castrop. *loc. cit.* num. 13. Gonz. *ad reg.* 8. *Gl.* 45. n. 19. loquentes in specie de beneficiis patrimonialibus, seu debitis conferri oriundis ex certo loco Lotter. l. c. n. 30. de graduatis Fermos. *loc. cit. quest.* 23. num. 14. de debitis conferri consanguineis fundatoris. Ratio est, quod et si potestas ordinaria collatorum restricta sit ad certum genus personarum; non tamen exinde dici possit necessaria, ut aliquoties resolvit Rota apud Gonz. *loc. cit. Gl.* 9. §. 1. n. 75. non tantum, quia adhuc inter plures personas est electio, (ad quam faciendam à lege electa est industria personæ Episcopi, ut Lotter. *loc. cit.* n. 30.) adeoque & locus gratificationi; sed etiam, quia, ut Castrop. Episcopus posset tale beneficium debitum conferri certo generi, quin imò certæ in specie personæ, puta, propinquiori fundatoris non conferre, permittendò elabi concessum sibi semestre & sic collationem devolvit ad alium; cum compelli nequeat ad conferendum, sicut per electores & patronos compelli potest Ordinarius, ut electum confirmet, presentatum instituat. Item, quia, ut Lotter. *loc. cit.* ex illa necessitate confer-

rendi

rendi adhuc non concludatur, non pertinere collationem ad legem jurisdictionis, & quò minus in materia provisionis facultas aliqua transeat ad Capitulum Sede vacante; sufficit illum casum non esse expressum in jure, ut Coraf. Federic. de Senis. Rota apud Lotter. Unde jam etiam, etsi beneficium debitum certæ personæ. V. g. primogenito, ejus collatio (de qua in specie loquitur Garc. pro sententia contraria adductus) adhuc non transit ad Capitulum, ut contra Fermos. Dianam, Meroll. citati ceteri AA. vide me de his, *quest.* 526.

3. Resp. tertio: Collationem ob negligentiam inferiorum collatorum devolutam vel devolvendam ad Episcopum, dum is viveret, vel supervixisset, devolvi ad Capitulum Sede vacante, docent Zechus de benef. c. 5. n. 5. Zerol. pr. episc. p. 1. v. capitulum. §. 5. Lambert. de jurep. l. 2. p. 3. *quest.* 3. a. 8. Zyp. juris pontif. b. t. à n. 6. Molin. loc. cit. num. 12. quos citavi, *quest.* 527. num. 1. hac ducti ratione: quòd facultas conferendi spectet quidem ad dignitatem episcopalem, cujus est fructus; in casu tamen devolutionis, supplendo negligentiam inferioris, spectet ad jurisdictionem episcopalem, & quidem necessariam ad diocesis utilem administrationem. Contrarium tamen tenent. Fermos. loc. cit. *quest.* 24. num. 4. Garc. p. 2. c. 7. num. 53. Castrop. loc. cit. num. 10. Azor. p. 2. l. 3. c. 38. *quest.* 6. Barbof. juris eccl. l. 1. c. 32. num. 110. Laym. in c. cum olim de major. Obed. num. 3. &c. Ex ea ratione; quòd, cum hac devolutio non deducatur immediatè ex natura rei, nec ex aliqua ratione concludente, sed immediatè ex Juris Canonici dispositione, non fit inducenda extra casus in jure non expressos, qualiter, quòd ea devolvatur ad Capitulum nullibi exprimitur. His non obstante c. 2. de concess. prab. utpote loquente de devolutione collationis jure proprio competentis Episcopo negligenti, quòd nimirum ea devolvatur ad Capitulum. Idem, quòd dictum de collatione, dicendum juxta hanc posteriorem sententiam de electione, ut, dum electores neglexerunt eligere, aut electionem perperam instituerunt & hinc devoluta ad superiorem, adhuc Capitulum Sede vacante non possit eam instituere. Laym. loc. cit. Secus tamen dicendum de confirmatione & institutione, ut, dum in ea faciendi inferiores, ad quos ea pertinebant, fuerunt negligentes, Capitulum possit confirmare & instituere.

Quest. 96. Quid possit Capitulum Sede vacante circa provisionem beneficiorum parochialium conferendorum per concursum?

1. Resp. primò. Seclusa reservatione, quâ aliàs beneficia Sede episcopali vacante vacantia vi Reg. 2. Cancell. reservantur Papæ, eorum collatio, dum ea competit Episcopo facienda ab eo declarato digniori in concursu, non transit ad Capitulum Sede vacante. Castrop. loc. cit. num. 12. Garc. loc. cit. num. 86. Fermos. loc. cit. num. 8. Lotter. l. 2. *quest.* 2. num. 27. ob easdem rationes datas resp. 2. ad preced. *quest.* juxta sententiam secundam: nimirum, quòd, etsi admittatur competere judicatio digniori jus aliquod ad beneficium, Ordinarius non teneatur jus hoc exequi, nec ad id compelli possit, sed possit permittere, etiam consensu jam habito, devolvi ad alium, & sic adhuc collatio respectu Ordinarii sit libera Castrop. R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III,

Garc. LL. cit. Item, quòd omnis collatio sit prohibita Capitulo Sede vacante, exceptis casibus in jure expressis.

2. Resp. secundò: De cetero potest Capitulum Sede vacante beneficio parochiali vacante, sive in mense ordinario, sive Papali, instituere concursum, sive apponere edicta, ad concursum vocare, concurrentes examinare, dignioremque ex approbatis eligere, eumque offerre Papæ ab eo providendum, ubi ei reservatum est beneficium; in summa, potest omnia à Trident. Sess. 24. c. 18. quò ad hoc præscripta usque ad electionem dignioris inclusivè, non secus, ac illa peragere possit Episcopus. Castrop. loc. cit. Barbof. loc. cit. num. 92. Molin. loc. cit. num. 11. Garc. p. 9. c. 2. num. 6. C. de Luca de Paroch. d. 5. num. 3. & 5. Verumtamen etsi hæc jurisdictio habendi concursum existat habitualiter penes Capitulum, hanc tamen ab eo exerceri non posse per seipsum, sed necessariò exercendam immediatè per Vicarium ab eo deputatum, tradit C. de Luca loc. cit. n. 4. & ad Trid. d. 23. num. 30. & Fagn. in c. illa. h. 2. num. 17. in fine. Verbis ipsius S. Congr. Concil. vide me *quest.* 530.

3. Resp. tertio: Quòd verò spectat ad deputationem Examinatorum, si Capitulum potest celebrare synodum, nil vetat in ea deputare Examinatores. De cetero videtur idem posse vel non posse circa deputationem examinatorum extra synodum, quòd potest vel non potest circa hoc Episcopus. Vide me *quest.* 531.

Quest. 97. Quid possit Capitulum circa commendanda beneficia?

1. Resp. primò: (Præscindendo iterum à reservatione, quâ omnia beneficia spectantia ad collationem Episcopi Sede Episcopali vacante vacantia reservata sunt hodieum Papæ, adeoque deputatio illa administratoris aut commendatarii spectat ad ministros Papæ, ut Lotter. l. 2. qu. 2. num. 26. citans Abb. & Rotam:) potest Capitulum beneficia spectantia ad collationem Episcopi, commendare ad tempus providendo de Vicario & Oeconomo idoneo assignato ei congruo stipendio, qui ea administret, donec conferantur ab eo, cui competit collatio; cum id spectet ad rectam diocesis administrationem. Barbof. loc. cit. num. 94. Molin. loc. cit. num. 11. Azor. loc. cit. n. 8. Castrop. loc. cit. num. 21. Fermos. loc. cit. *quest.* 25. à num. 12. Ego in for. benef. p. 2. *quest.* 711. n. 2. Quæ tamen datio administratoris, custodis Oeconomi est quid diversum à commendare beneficium; cum commendatarius temporalis, etsi titulum beneficii non habeat, habeat tamen plus juris, quàm merus administrator; cum saltem de consuetudine ei permittatur percipere fructus beneficii, & ejus juribus uti. Laym. ad c. novo de elect.

2. Resp. secundò: Potest etiam ecclesias parochiales commendare temporaliter ultra sex menses, seu illos prorogare, donec iis de idoneo Rectore fuerit provisum. Laym. loc. cit. n. 3. Fermos. loc. cit. num. 10. Barbof. loc. cit. num. 110. atque ita quò ad hanc prorogationem temporis in commenda parochiarum loquendum de eo, sicut de Episcopo, si is viveret. Nequit tamen Capitulum aut ejus Vicarius eas commendare, multoque minus

G

omnes

omnes illius fructus concedere ei, qui in concursu iudicatus dignior. Fagn. *in c. illa. b. t.* Nequit etiam alteri clerico seculari commendare beneficium regulare, nec contra; cum nec ipse Episcopus id possit. Azor. *loc. cit.* ex Rebuff. *pr. benef. tit. de devolut. num. 83.*

3. Resp. tertio: De cætero beneficia, etiam non eurata, Capitulum, etiam seclusa reservatione, commendare non potest commendatione proprie tali seu perpetua, quia talis commendatio æquivalet collationi; quin & ipsi Episcopo interdicta à Trid. *Sess. 24. c. 18.* Castrop. *loc. cit.*

Quest. 98. Quid possit Capitulum Sede vacante circa resignationes beneficiorum recipiendas & resignatorum collationes?

1. Resp. primo: Potest recipere resignationes simpliciter factas beneficiorum spectantium ad solius Episcopi collationem alteriusve inferioris collatoris. Barbof. *loc. cit. num. 96.* citans Zerol. & Riccium. Sbroz. *de offic. Vicar. p. 2. quest. 71. num. 12.* Parif. *l. 7. quest. 23. num. 20.* Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 28.* Castrop. *loc. cit. num. 15.* Garc. *p. 11. c. 3. n. 26.* Pavin. *de potest. Capit. Sed. vac. p. 2. quest. 2. à num. 11.* alique apud me *qu. 533.* contra Laym. *in c. cum olim. de major. & obed. n. 11.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 74.* Rebuff. Quarant. &c. apud Dian. hoc nixos fundamento; quod talis receptio resignationis sit gratia & remissio obligationis. Dum alii nituntur contrario, nempe quod sit inter spectantia ad jurisdictionem Episcopalem, in qua succedit Capitulum, exceptis casibus à jure exceptis; quin & receptio talis sit necessitatis, non voluntatis; cum iustis de causis beneficiarii sua beneficia sic deponant. Neque etiam dici possit alienatio, cum Capitulum hoc ipso, quod recipiat resignationem, non conferat beneficium. Proceditque hæc secunda sententia, non tantum, quando dimissio seu resignatio beneficii sit in pœnam, (in quo casu admitti posse resignationem à Capitulo concedunt adversarii,) sed & de omni alia voluntaria resignatione ob generalitatem datæ rationis. Possit etiam Capitulum receptionem beneficiorum resignatorum committere alteri (intellige, non suo Vicario) tradit Parif. *loc. cit. n. 34.*

2. Resp. secundo: Non tamen potest Capitulum beneficia, quorum resignationes admittit, conferre. Castrop. Barbof. Parif. *LL. cit.* quia prohibitum Capitulo conferre beneficia spectantia ad collationem solius Episcopi liberam, qualia esse non desunt, dum vacant per resignationem liberam, non factam in manibus Papæ. Neque magis necessaria est talis collatio respectu Episcopi, quam si vacarent per mortem beneficiati. Castrop. *cit. num. 15.*

3. Resp. tertio: Potest Capitulum præstare auctoritatem permutationibus, seu recipere resignationes factas permutationis gratiâ, dum ea aliâs spectant vel ad collationem Capituli solius, vel ad collationem Episcopi aut alterius & Capituli simul; cum admisso permutationis sit actus jurisdictionis, spectans ad rectam diæcesis administrationem. Castrop. *loc. cit. num. 18.* Parif. *loc. cit. num. 31. juncto num. 37.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. quest. 4.* Barbof. *loc. cit. num. 34.* Garc. *p. 11. c. 4. à num. 75.* Secus est de beneficiis spectantibus

ad Episcopi vel alterius solius collationem. Dian. *loc. cit. resol. 29.* citans Meroll. Barbof. *loc. cit.* citans Riccium, Castrop. *loc. cit.* contra Laym. *loc. cit.* Wamel. *Tom. 1. conf. 13. num. 10.* Chok. *de permut. benef. c. 8. num. 6.* Azor. *loc. cit. c. 28. quest. 4.* censentes posse Capitulum recipere resignationes factas permutationis gratiâ, non tamen beneficia permutata conferre, non secus, ac Episcopus potest recipere resignationem beneficii reservati Papæ, non tamen potest illud conferre. Verumtamen vel ex hoc ipso hæc sententia arguitur inconsequentia, & opposita stabilitur; cum, qui conferre nequit permutata, etiam eorum resignationes recipere nequeat; siquidem permutationum quilibet ea conditione, & non aliter resignat beneficium, quam ut sibi conferatur beneficium alterius. Capitulum autem illa beneficia conferre nequit. Fernof. *cit. quest. 25. n. 4.* Dian. Barbof. Castr. Garc. *LL. cit.* innixi generali aliquoties jam repetita regulâ; quia talia beneficia ad liberam Episcopi collationem spectant. Etsi enim beneficia permutata necessario conferenda sunt permutantibus, hiq; compellere possint eum, qui eorum resignationem admittit, ad conferenda ea sibi; quia tamen hæc necessitas non aliunde, quam ex libera acceptance permutationis facta non ab alio quam Episcopo provenit, is sibi ipsi eam injicit, collatio dicenda est absolute libera, & non nisi necessaria necessitate consequente. Dum autem dicitur Capitulum conferre posse, quæ sunt collationis necessaria, intelligendum id est, non de conferendis necessario hac necessitate consequente, sed de conferendis necessario necessitate absoluta & antecedente, nimirum Episcopo imposita ab aliis; & consequenter vetita Capitulo illa collatione, non potest non esse ei vetita receptio permutationis, etsi ea dicatur esse actus jurisdictionis. Vide hæc pluribus stabilita à me, *quest. 533. à num. 4.*

Quest. 99. Quid possit Capitulum Sede vacante circa beneficia unienda, dismembranda, extinguenda, alteranda?

1. Resp. primo: Non potest sibi unire beneficium: quia nullum beneficium potest supprimere in sui utilitatem. Barbof. *loc. cit. num. 99.* Laym. *in c. cum olim. de major. & obed. num. 11.* Castrop. *tr. 13. d. 6. p. 12. §. 2. num. 13.* Garc. *p. 12. c. 2. num. 68.* An possit unire aliis piis locis vel beneficiis beneficia, dum per hoc nihil juribus aut jurisdictioni Episcopi decedit, controvertunt AA. Affirmativa sententiæ, quam tenent Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 31.* Laym. Castrop. *LL. cit.* Garc. *loc. cit. num. 67.* & plures alii à me citati, *quest. 534. num. 2.* fundamentum est, quod hæc potestas uniendi sit jurisdictionis Episcopalis, & quidem necessaria; eò quod non nisi urgente necessitate ecclesiæ, vel evidente utilitate facienda unio, neque sit ex casibus in jure exceptis. De cætero etiam secundum hanc sententiam, sicut Episcopus, ita etiam Capitulum unire nequit ecclesias exemptas. Negativa sententiæ, quam tenent Lotter. *l. 1. quest. 28. num. 141.* Pavin. *de potest. Cap. Sed. vac. p. 3. q. 3. à n. 17.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. qu. 9.* Cuchus *instit. mor. l. 2. tit. 9. n. 87.* Hojed. *de incompar. benef. p. 2. c. 3. n. 7.* fundamentum est, quod etsi unire beneficia sit jurisdictionis Episcopalis, sit tamen de reservatis Episcopo, impli-

implicetque alienationem seu extinctionem tituli. Ad primum tamen horum, nempe; quod unire sit proprium Episcoporum, dici potest, id dici tantum ad exclusionem inferiorum Prælatorum, non habentium jurisdictionem Episcopalem, qualem habet Capitulum. Illud verò, quod cedat in præjudicium juris Episcopalis, negatur; cum jus hoc, utpote consistens in eo, quod omnia beneficia sibi subjecta, quamdiu retinent naturam beneficii, conferre possit, non minuitur per hoc, quod beneficia vi unionis extinguantur. Castrop. *loc. cit. num. 12.* quin & ex eo non magnopere minuatur, quod loco illius, quod non facta unione conferre poterat duo, facta unione, conferre possit beneficium pinguius tanti valoris, quanti ista duo, dum beneficium, cui unitum est aliud, spectat ad ejus collationem.

2. Resp. secundò: Si Capitulum Sede vacante uniones facere potest (intellige, potestate ordinaria & Episcopali) potest etiam eas à se vel Episcopo factas dissolvere ex causa. Castrop. *tr. 13. d. 6. p. 12. §. 4. num. 4.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 29. q. 5.* etiam enim à posse unire ad posse dissolvere non rectè inferatur quò ad eos, qui non nisi ex privilegio unire possunt, qui non hoc ipso, quod unire possunt, etiam uniones à se factas dissolvere possunt, cum consuetudo & privilegium non extendant se ad utrumque contrariorum; rectè tamen ab uno ad aliud inferitur quò ad eos, qui potestate ordinaria possunt unire. Castrop. Azor. *LL. cit.*

3. Resp. tertio: Si Capitulum uniones accessorie facere potest, & factas dissolvere, videtur quoque posse beneficia dismembrare (hoc est, aliquos fructus seu redditus beneficii à beneficio, intacto & inextincto titulo, separare, alteri beneficio seu pio loco applicandos) in casibus, in quibus id potest Episcopus; cum id minus sit minoremque sapiat alienationem, quam unire accessorie beneficium, quippe per quam unionem extinguitur titulus totus. Si verò Capitulum non nisi ad summum unire potest æquè principaliter unum beneficium alteri, ex hac ejus potestate argui nequit ad potestatem dismembrandi; cum per unionem æquè principaliter factam titulus beneficii non extinguatur, nec fructus ab eo separantur, sed beneficium unà cum fructibus suis ita connectitur alteri, ut ex duobus, quorum singula manent in rerum natura, consurgat unum.

4. Resp. quartò: Pari modò, si unire potest accessorie, & uniones taliter factas rescindere, ut iterum consurgant duo beneficia, poterit etiam ex rationabili causa dividere beneficium, hoc est ipsum titulum beneficii dividendo, ex uno facere duos seu duo beneficia; v. g. ex una parochia duas, ex uno Canoniatu duos, modò talis divisio per se non tendat in utilitatem Capituli, aut per eam præjudicetur juri Episcopi; quia videtur id quoque minus, quam titulo extincto penitus, fructus ab eo separatos applicare alteri. Spectatque taliter dividere ad utilitatem Ecclesie. Laym. *loc. cit. num. 11.* vide me *q. 536. num. 2.*

5. Resp. quintò: Tametsi suppressere & extinguere possit beneficia in omnibus casibus, in quibus accessorie ea unire potest; cum talis unio includat suppressionem; suppressere tamen nequit beneficia simplicia in Cathedrali ad augendas distributiones; hanc enim suppressionem faceret directè in propriam utilitatem, videtur ta-

R. P. Leurr. *Jur. Can. Lib. III.*

men id facere posse in aliis Ecclesiis insignibus collegiatis in ordine ad augendos proventus exterarum præbendarum & distributiones; quod ipsum, dum Trident. Sess. 24. c. 17. licere vult Episcopo, per hoc exclusum non vult Capitulum Sede vacante; cum illud fungatur Vice-Episcopi, spectetque id ipsum ad bonam Diocesis administrationem, nec cedat directè in utilitatem Capituli.

6. Resp. sextò: Quod quò ad alterationes beneficiorum potest Episcopus jure ordinario (de quo vide me in *foro benef. p. 3. q. ult.*) etiam videtur posse Capitulum Sede vacante, modò non cedat in præjudicium futuri Episcopi. Unde in casu, in quo Episcopus onera beneficio imposita in prima illius erectione potest demere, aut præterea imponere alia (quæ est alteratio beneficii quasi extrinseca) idem poterit Capitulum. Item si Episcopus possit beneficium liberum sua potestate ordinaria subjicere juripatronatus, vel è contra illud ab eo liberare, poterit idem etiam Capitulum. Item sicut potest Episcopus Ecclesiam simplicem mutare incuratam seu parochialem (quæ est alteratio Ecclesie quasi intrinseca) poterit id ipsum quoque Capitulum.

Quæst. 100. Quid possit & ad quid teneatur Capitulum circa constituendum Vicarium?

1. Resp. primò: Neque olim, neque modò, quantum est de jure communi tenebatur, teneatur autem hodieum vi Trident. Sess. 24. c. 16. Capitulum Cathedrale & Metropolitanum (quæ tamen Trid. dispositio, uti censuit S. Cong. non extendit se ad Capitula Collegiata, etiam quarum Prælati habet jurisdictionem ordinariam & jura Episcopalia) administrationem & jurisdictionem ad se Sede vacante devolutam exercere per Vicarium à se deputatum. Episcopo verò in remotis agente, si jurisdictione & administratio devolvatur ad Capitulum, nil vetat, illud eam exercere interea per Vicarium à se constitutum. C. de Luc. *de jurisd. d. 54. num. 7.* Pirh. *ad tit. de Vic. Ep. n. 77.* non tamen ad hoc à Concilio Trid. (utpote quod loquitur tantum de casu Sedis vacantis, qualiter ea non vacat per dictam absentiam) architectatur, sed potest eam per seipsum exercere.

2. Resp. secundò: Vicarius constituendus juxta Trid. intra dies octo à die scientie (intellige non præsumptæ sed certæ) mortis vel translatione Episcopi (quæ perficitur eo momento, quo in Consistorio Episcopus per Papam absolvitur à vinculo prioris Ecclesie, etiam ante captam possessionem, imò & ante expeditas literas pro altera Ecclesia) vel consensu Episcopi in sui translationem, si ea facta sub hoc consensu. Potest autem Capitulum hunc terminum octo dierum restringere, modò id non fiat in fraudem absentium Capitularium, non tamen potest illum extendere, ita ut, si intra illum negligat constituere Vicarium Capitulum Cathedrale, Metropolitanum, & si is id negligat, Senior ex Suffraganeis, & in Ecclesia exempta Episcopus propinquior poterit constituere Vicarium. Trident. *l. e.* Hanc tamen devolutionem impedire potest Capitulum post lapsum dictum terminum purgando moram, docent Garc. *p. 5. c. 7. num. 7.* & alii; quin etiam eam locum non habere, si intra octo dies elegit Vicarium nulliter, quia earentem conditionibus à Trid. requisitis, astruit

& probat pluribus S. Cong. responsis Pignat. Tom. 8. consult. 34. à num. 13. Mortuo autem Vicario constituto ab eo, ad quem facta devolutio, Capitulum denuo alium eligere potest. Vide me q. 544. Pendente verò dicto termino, donec constituatur Vicarius, administratio jurisdictionis non spectat ad primam dignitatem, neque ad Archidiaconum (remanentibus tamen illi, uti & Archipresbytero pro tempore illo propriis suis juribus competentibus illis de jure communi tanquam Vicariis natis) Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 32. num. 4.* Pax Jord. *l. 12. tit. 2. num. 4.* citans Riccium &c. contra Vulpe. Navar. Sbroz. Sed ad ipsum Capitulum totum, quod eam per seipsum successivè tunc administrare potest, sicut olim poterat pro toto tempore vacantis Sedis. Pax Jord. *loc. cit.* Barbof. *loc. cit. num. 29.*

3. Resp. tertio: Potest Capitulum Vicarium Episcopi defuncti, uti & Metropolitanus suum Vicarium Capitularem constituere, modo habeant qualitates in tali Vicario requisitas; non tamen ad hoc tenetur. Sbroz. *de off. Vic. l. 1. q. 60.* Potest etiam, quantum est de jure communi, vel etiam ubi sic habet consuetudo immemorialis, Capitulum constituere plures Vicarios Capitulares habentes requisitas qualitates, æquè principales, vel in solidum, vel ut alterius mensibus eo munere fungantur; non enim minus in hoc potest quam Episcopus. Fagn. *in c. his qua. de major. & obed. n. 68.* Barbof. *l. c. n. 33.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n. 57.* Ego q. 547 hodieum verò post Trident. independentè à tali consuetudine non posse Capitulum nisi unum constituere Vicarium; eò quòd Concilium loquatur in singulari, defendunt Dian. *p. 8. rr. 4. resol. 81.* Fagn. Barbof. Pirh. *LL. cit. &c.* Contrarium simpliciter etiam nulla mentione consuetudinis, nimirum posse Capitulum adhuc hodieum plures constituere Vicarios, & Concilium loqui in singulari ideo, quia regulariter non constituitur nisi unus, tenentibus. Sbroz. *loc. cit. q. 50. & 60.* Garc. *p. 5. c. 7. num. 36.* citante alios plures; item Molin. *de just. rr. 5. d. 11. num. 1.* apud Barbof. De cætero ubi duo sunt Episcopatus uniti, & unusquisque habet suum Capitulum, singula suum deputare possunt Vicarium Capitularem Pax Jord. *loc. cit. tit. 2. num. 10.* An verò unus idemque constitui possit Vicarius generalis in temporalibus: & spiritualibus, dubitant aliqui; affirmat Azor. *p. 2. l. 2. c. 37. q. 18.* citans Clem. 1. & 2. *de heret. Pavin. & Rebuff.* Vide me q. 549.

4. Resp. quarto: Constitutio Vicarii non est propriè electio, nec in ea servanda forma c. quia propter, de elect. unde non requiritur, ut fiat per suffragia occulta. Vide me q. 550. Requiritur tamen & sufficit pluralitas votorum (intellige, non respectu aliorum, qui pauciora habuerunt, sed respectu totius numeri Capitularium) nisi fortè specialis Ecclesiæ statutum Apostolica autoritate firmatum exigeret duas tertias votorum; ubi verò electio talis non valeret ob non habitam pluralitatem votorum, non poterit revalidari ex subscriptione patentium facta à majore parte Capitularium; quia facta non est in Capitulo capitulariter. Utrum tamen, ubi electio facta scienter de indigno, valeat electio facta de digno à minore parte Capituli, variant AA. possit tamen electus à medietate suffragatorum, consentiendo suæ electioni, mutato suffragio suo augere numerum, & sic constituere numerum majorem votantium seu

ultra dimidium; & si Capitulares inter se discordes elegerint duos vel tres Vicarios, ex omnibus magis idoneus, cæteris rejectis, est assumendus in Vicarium. Barbof. *loc. cit. num. 36.* Garc. *loc. cit. num. 23.* vide me de his omnibus q. 551. & q. 552. Porrò num Vicarius eligendus pro toto tempore vacantis Sedis; an verò pro determinato tempore, quo elapso, iterum eligendus alius, controvertunt AA. vide me q. 555.

5. Resp. quinto: Tam etsi Capitulum, neque vi juris communis, neque vi Trident. necessario eligere debeat in Vicarium, qui est de gremio suo, ubi tamen adesset idoneus ex Capitulo, is cæteris paribus preferendus. Garc. *loc. cit. num. 13.* Barbof. *num. 37.* Vulpe. Pignat. Pirh. & alii citati à me q. 556. Quod ipsum faciendum à Metropolitanum, ubi ad eum devoluta electio. An eligendus in Vicarium Capitularem necessario debeat esse Doctor; & quidem Juris Canonici, & promotus in publica Universitate, vide à me tractatum per plures num. q. 559. Quòd Canonicus Capitularis habens cætera requisita, exercens in eadem civitate curam animarum, eligi possit in Vicarium Capitularem, modò utriusque officio, Parochi & Vicarii satisfacere possit; non tamen parochus alius extraneus Diocesanus; cum ne quidem Episcopus talem assumere possit in suum Vicarium, fuse satis declaravi q. 558. uti & quæ ætas in eo requiratur. q. 559. & quòd non requiratur, ut sit in Ordinibus, sed sufficiat esse Clericum primæ tonsuræ. q. 560. quòdque esse debeat legitimus. q. 561. Ac denique qualiter & coram quo nullitas electionis, tam ob defectum electi, quam aliunde contingentem sit deducenda. q. 554.

Quæst. 101. Quid possit Capitulum post constitutum à se Vicarium per seipsum?

1. Resp. primò: Quamvis Vicarius Capitularis Episcopo succedat in omni ea jurisdictione, in qua ei succedit Capitulum (unde non quidem Vicarius Episcopalis, sed Vicarius jurisdictionis Episcopalis dici potest & debet) hæcque ad illum à Capitulo (penes quod ea tota habitualiter & principaliter residere pergit) transeat quòd ad exercitium, quod immediatè illi à Capitulo (vel in casu negligentis à Metropolitanum) committitur vice sua exercendum; nihilominus potest Capitulum deputando Vicarium aliqua sibi per seipsum exercenda reservare. Dian. *l. 8. rr. 4. resol. l. 2.* Pignat. Tom. 9. consult. 59. n. 4. Pirh. *l. c. n. 78.* Garc. *l. c. n. 25.* Pax Jord. *l. 12. tit. 2. num. 61.* Barbof. *jur. Eccl. l. 1. c. 32. n. 4.* citans Vulp. *pr. for. Eccl. c. 44. n. 28.* Pavin. *p. 1. q. 10. n. 6. &c.* Porrò inhærendo huic sententiæ, si reservata sint voluntati jurisdictionis & gratiosa, non repugnare, ea exerceri per ipsum Capitulum, censent Pax Jord. *loc. cit. num. 25.* Ventrigl. &c. secus, si sint judicaria seu jurisdictionis contentiosa, & exigentia cognitionem causæ; ea enim debere à Capitulo delegari Vicario suo, vel etiam alteri, ne aliàs retardaretur Justitia, & partes gravarentur ob difficultatem congregandi Capitulum; quæ etiam causa fuit, cur Concilium exercitium jurisdictionis abstulerit à Capitulo, & transferri voluerit in Vicarium. Nihilominus Fagn. *in c. his qua. de major. & obed. num. 72.* testatur, S. Congreg. præpositam negot. Episcoporum. & Regular. definitivè

sim-

simpliciter in contrarium; nimirum Capitulum teneri Vicario suo jurisdictionem totam conferre, non cumulativè, sed privativè ad se. Vide me de his. q. 566. Idem de relinquenda tota administratione Vicario procedere volunt Garc. loc. c. Pax Jord. loc. cit. n. 62. in casu, ubi jam semel jurisdictionis illimitatè eidem concessa, negant hoc ipsum aliam volunt, Capitulum etiam ex post, non tantum posse reservare, & ad se avocare aliqua, sed etiam posse se intromittere in exercitio jurisdictionis, eamque exercere cumulativè cum suo Vicario, hoc nixi fundamentum, quòd Concilium Tridentinum obligaverit ad constituendum Vicarium; non vero ad abdicandam à se jurisdictionem (intellige, etiam quò ad exercitium) adeoque sicut ex eo, quòd Episcopus attingeretur assumere Vicarium, non sequitur, hunc habere exercitium jurisdictionis privativè ad Episcopum, ita etiam ex eo, quòd Capitulum (quòd in jurisdictione succedit Episcopo) arctetur assumere Vicarium, non sequitur illud cogi hoc exercitium abdicare, & relinquere privativè Vicario suo. Contra quam tamen rationem facit, quòd Concilium, ut dictum paulò supra, voluerit, Capitulum per Vicarium exercere jurisdictionem suam ideo; qui negotia tam multiplicia occurrentia tempore Sedis vacantis ordinariis & sine ulla justitiæ retardatione partiumque gravamine per unum omnium nomine, quàm multorum difficulter sæpe congregabilem, & in diversa abeuntium, præsertim, dum inter illos plures nonnunquam sunt pertinacis & heteroclitici cerebri, suffragiis expediuntur. De caterò juxta hanc sententiam multò minùs poterit Capitulum limitare Vicario exercitium illud jurisdictionis, & ad se avocare aliqua, ubi in casu negligentia Capituli Vicarius constitutus à Metropolitanò illimitatè. Porrò in eo, num, quando Vicarius ita simpliciter absque omni positiva reservatione deputatur, transeant quoque in eum sine speciali commissione, quæ aliàs speciale mandatum Episcopi requirunt respectu Vicarii illius generalis, in eo, inquam, non conveniunt AA. affirmant Garc. de benef. p. 5. c. 7. n. 28. Guttier. qq. Can. l. 1. c. 11. n. 10. Molin. de Just. tr. 5. d. 11. n. 4. quos pro hac sententia citat Barbosa. juris Eccl. l. 1. c. 32. n. 103. Negant è contra Barbosa. l. c. Castrop. tr. 13. d. 2. p. 29. n. 5. Pirh. ad rit. de off. Vic. num. 78. Dian. p. 8. tr. 4. resol. 64. Ventrigl. Meroll. &c. Sic Vicarium Capitularem non posse sine speciali commissione dispensare in interstitiis Ordinum, tradunt Fagn. in c. his qua. de maj. & obed. n. 61. Ventrigl. Tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 21. citans alios. Atque ita non transire majorem in eum potestatem, quàm in Vicarium Episcopi, tenent Castrop. loc. cit. Garc. loc. cit. num. 29. aliique à me citati. q. 569. num. 1. ubi etiam, num. 2. & 3. qualiter non minùs, quàm Vicarius Episcopi sit Ordinarius, & sicut hic cum Episcopo, ita ille cum Capitulo idem habeat tribunal, vel potiùs Vicarius Capitularis dicatur occupare tribunal jurisdictionis Capitularis, & eam ex illo administrare. Unde etiam, ut dixi. q. 570. videatur non posse à Vicario appellari ad Capitulum, nisi fortè in causa illi specialiter delegata, sicut etiam in eo casu appellari potest à Vicario Episcopi ad Episcopum.

Quest. 102. Quid possit vel non possit Vicarius Capitularis vi translatae in eum jurisdictionis Capitularis?

1. Resp. primò in genere: Primò potest exercere hanc jurisdictionem ante literas patentes deputationis suæ expeditas. C. de Luca de Can. & dignit. d. 26. num. 2. juncto num. 10. designatio enim hæc non exigit post se ad perfectionem sui alium actum, sicut electio propriè talis exigit confirmationem; expediunturque hæc literæ ad probationem, non ad substantiam actus aut perfectionem: adeoque neque exercitium jurisdictionis dependens ab illa deputatione exigit dictas literas. C. de Luc. loc. cit. vide me q. 571. Excommunicato tamen, aut per aliam censuram suspensio Capitulo, Vicarius quoque illius jurisdictionem exercere nequit pari ratione, ac contingit in Vicario Episcopi Garc. loc. cit. num. 32. Castrop. loc. cit. Pirh. loc. cit. contra Ugolin. Idque etiam Vicarius deputatus à Metropolitanò; quia etiam is habet jurisdictionem dependentem à jurisdictione Capituli, etsi independentem à voluntate illius. Garc. loc. cit. num. 33. Secus est, dum Capitulum delegasset specialiter causam Vicario, non ut Vicario, sed ut delegato; jurisdictionis siquidem delegata delegati non suspenditur excommunicato delegante. Card. in Clem. est principalis. de rescrip. num. 9. Pavin. de potest. Cap. Sede vac. p. 2. q. 10. num. 14. Secundo omnia, quæ potest Capitulum, potest etiam Vicarius, intellige, commissa ei tota jurisdictione & administratione sine reservatione. Hinc

2. Resp. secundò in specie: Primò potest circa condenda & revocanda statuta, puniendosque eorum transgressores, quæ circa ea potest Capitulum juxta dicta supra; egebit tamen ad condenda statuta generalia speciali saltem consensu Capituli, si non demandatione & commissione, quo tamen etiam consensu non egebit ad puniendos transgressores. Secundò potest etiam de aliis delictis cognoscere eaque punire ex generali Vicariatus commissione. Tertiò infligere censuras, easque exequi, etiam sine speciali commissione Capituli (nisi fortè agatur de suspensione perpetua aut diuturna) est enim Judex Ecclesiasticus, ordinariam habens jurisdictionem, potestque id ipsum Episcopus, & quod is potest, potest Capitulum Sede vacante, nisi id specialiter ei in quibusdam casibus denegetur; & sic in specie potest suspendere, interdicere, excommunicare vigore commissionis suæ generalis, etiam personas particulares & Canonicos de Capitulo. Pax Jord. l. 12. tit. 2. num. 41. & Pignat. vide me q. 576. pro singulis citantem plures AA. Pari modo potest Vicarius absolvere ab excommunicatione (idem est de aliis censuris) lata à jure vel homine, puta, Episcopo mortuo ejusvè Vicario, idque sine speciali commissione, & licet non esset Sacerdos, etsi honestius, eam absolutionem tunc committeret alteri Sacerdoti; vide me q. 580. num. 1. Poterit quoque remittere pœnas, tam à seipso, quàm à defuncto Episcopo aut etiam à Capitulo, per se ipsum administrante intra octo illos dies irrogatas, in quo tamen postremo casu videtur egere speciali commissione Capituli; vide me loc. cit. Quarto videtur posse exigente atrocitate delicti privare Clericum beneficio, & devenire quoque ad verbalem degradationem; quia id potest Capitulum, cujus ramen speciali commissione, saltem quò ad seculum degradationem: utpote ne quidem Capitulo, sed soli Episcopo competentem, non potest; multas verò pecuniarias, etiam ex parte, sub præ-

textu salarii sibi applicare nequit, sed hæ applicandæ locis piis juxta Trid. *Sess. 25. c. 3.* Quinto quò ad dispensandum potest, quod potest Capitulum; num verò & in quibus ad hoc egeat speciali mandato vel commissione Capituli, controversitur inter AA. vide me *q. 581.* Sexto potest cognoscere de causis matrimonialibus, & quidem probabilius sine speciali mandato, etsi reputentur inter arduas; vide *q. 582.* Posse illum assistere matrimonio, etsi Sacerdos non sit, quippe qui est Ordinarius, dare etiam aliis ad hoc licentiam, non secus ac Vicarius Episcopi, extra dubium est. Septimo potest cognoscere causas civiles citra speciale mandatum, non tamen feudorum privativè spectantium ad Episcopum; cum ne quidem id possit Capitulum. Secus est de causis feudorum spectantium cumulativè ad Episcopum & Capitulum, item spectantium privativè ad Capitulum, sed non nisi de speciali ejusdem Capituli commissione & mandato. Octavo sub iisdem limitationibus, sub quibus Vicarius Episcopi potest cognoscere causas criminales, sub iisdem id potest Vicarius Capituli, & in specie in causâ hæresis; de quo vide me *q. 585. num. 2.* ubi quòd id juxta plures possit ex speciali mandato Capituli. Nonò commissa à Sede Apostolica. V. g. Literas in forma dignum, item dispensationes matrimoniales & similia directæ Episcopo, aut ejus Vicario generali, exequi non posse Vicarium Capituli Sede vacante, tenent Pirh. *loc. cit.* Pax Jord. *loc. cit. num. 28.* testans sic resolutum à S. Cong. Concil. Garc. *loc. cit. num. 41.* unde etiam id non poterit assumptus è Capitulo in Vicarium, qui fuit Vicarius Episcopi defuncti, eò quòd talis non sit amplius Vicarius Episcopi; quin & non posse Vicarium Capituli exequi literas & commissiones simpliciter directas Vicario generali, absque eo, quòd dicatur *Vicario Episcopi*, sed simpliciter Vicario generali Diocesis; v. g. Trevirensis, tenent Garc. *loc. cit. à num. 44.* citans pro hac sententia aliquot Rotæ decis. Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 32. n. 57.* citans Riccium Bonac. Navar. &c. qui tamen non satis videtur sibi constare, pro ut videre est apud me *q. 587. n. 2. in fine;* & quòd nomine Officialis, vel Vicarii absolutè prolati in istiusmodi literis commissionum, dispensationum, non intelligatur Vicarius Capituli, sed Episcopi, satis argui videtur ex praxi, Curia & Cancellaria, quâ Sede vacante Episcopali, eæ non dirigantur Vicario Capitulari, sed Episcopo viciniore aut ejus Vicario, ut Barbof. & Garc. contrarium nihilominus quò ad utrumque tenentibus, quos citat Barbof. *loc. cit.* Salas de LL. d. 20. f. 17. *num. 124.* Pont. de matrim. l. 8. c. 18. §. 1. *num. 13.* Sanch. de matrim. l. 8. d. 27. *num. 32.* Asserit quoque Barbof. *loc. cit. n. 10.* per Vicarium Capituli posse exequi literas directas per S. Cong. Episcopo ab eo non executas ut S. Cong. *preposita negot. Episc. & Regular. 10. April. 1615.* nec non omne illud, quod Episcopo mortuo per Bullam seu Breve in causis jurisdictionem importantibus concessum, prout eadem Congregat. in *Neapolitana 10. Febr. 1604.* Decimo ministros, Secretarium aliosque officiales, quos, utpote ad exercendam commodius jurisdictionem necessarios, non secus ac Episcopus sibi eligere potest, & quorum electionem sibi reservare solet in deputatione Vicarii Capitularis juxta formam recitatam à Quarant. in *sum. Bullar. v. Capit. sed. vac. num. 15.* Pignat. *Tom. 9. consult. 159. num. 4.* Vicarius Capitularis amovere nequit, sed tenetur adhibere, sicut tenetur Vi-

carius Episcopi, utpote officialis jurisdictionis Episcopalis, cujus ipse Vicarius dicitur. Undecimò videtur Vicarius Capitularis, etiam sine specialâ mandato posse celebrare Synodum, non secus, ac visitare; cum visitare non minus sit inter ardua, quàm cogere synodum, & hoc non minus de lege jurisdictionis quam illud, & lex Diocesana non minus exigit unum quàm alterum. Duodecimò posse Vicarium Capituli dare licentiam edificandi nova monasteria, negant Dian. p. 8. *tr. 4. resol. 68. in fine.* Barbof. *loc. cit. num. 60.* Pax Jord. *loc. cit. num. 27.* testantes sic definitum à S. Cong. affirmat è contra & probat ex eadem S. Cong. Fagn. in *c. non amplius. de Institut. à num. 65.* vide me *q. 591.* Decimotertiò: Quod circa mutandas ultimas voluntates potest Capitulum, id etiam potest Vicarius Capituli sine hujus speciali commissione. Decimoquarto potest constituere & approbare confessarios, iisque concedere facultatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis; item revocare facultates omnes datas ad audiendum confessiones, item confessarios examinatos & approbatos per Episcopum defunctum denuo revocare ad examen, & repertos inhabiles reprobare Ventrigl. *Tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 44.* vide me *q. 596.* Decimoquinto potest, quod potest Capitulum quò ad interponendam auctoritatem alienationi bonorum Ecclesiarum Cathedralium inferiorum. Decimosexto potest processiones publicas indicare, præscribereque viam & modum, quò dirigendæ, non obstante consuetudine etiam immemoriali, quâ dicta potestas fortè fuisset apud alios; cum jus illud privativè ad alios sit penes Ordinarium jurisdictionem ordinariam exercentem Pignat. *Tom. 10. consult. 121. n. 21.* Barbof. *juris Eccl. l. 1. c. 43. n. 161.* idque ex mente S. Cong. Concil. & juxta Decis. Cong. rituum, de qua testantur iidem; comminatis etiam censuris aliisque pœnis extraordinariis Canonice accedere ad eas recusantibus. Pignat. *loc. cit. n. 4.* vide me *q. 598. num. 1.* Non potest tamen indicare aut instituere processiones publicas & generales in civitate Episcopali, vel ubi est Capitulum Cathedrale (secus de iis, quæ fiunt extra illam in oppido aliquo Diocesis) Capitulo non requisito, seu absque ejus consilio. Pignat. *loc. cit. n. 5.* Decimoseptimò in ordinationibus suis & scripturis publicis uti non potest sigillo proprio, sed uti debet sigillo publico, quod gerit ratione officii sui tanquam persona publica, nempe Capituli, cujus nomine & vice administrat. Pignat. *Tom. 9. consult. 159. n. 7.* non tamen *n. 10. & 12.* addit, quod uti possit sigillo proprio, ubi constitutus, vel etiam confirmatus auctoritate Apostolica. Decimo octavo potest dare extero Episcopo licentiam conferendi Ordines aliæque pontificalia in Diocesi Sede vacante, etiam absque speciali commissione Capituli, secus ac commissione Episcopali ad hoc eget Vicarius Episcopi, juxta tamen limitationes & extensiones supra datas, quò ad concedendam hanc licentiam à Capitulo. Poterit & ipse Vicarius Capituli, ubi est Episcopus, sine speciali commissione per se præstare omnia, ad quæ licentiam concedere potest Episcopo extraneo. Decimononò potest quoque dare dimissorias juxta dicta in hoc puncto supra de Capitulo. Vigesimo potest dare facultatem construendi & dotandi Ecclesiam in ordine ad acquirendum confruenti vel dotanti jus patronatus, idque sine speciali mandato Capituli; ego *q. 602.* Vigesimo primò potest instituere

presentatos, & electos confirmare etiam sine speciali mandato. Sunt enim hæc iustitia & necessitatis. Garc. p. 5. c. 7. num. 28. ego q. 603. & in for. benef. p. 2. q. 171. numer. 2. Vigesimo secundo collationem liberam beneficiorum devolutam ad Capitulum Sede vacante ob negligentiam inferiorum collatorum, ut faciat ejus Vicarius, an egeat speciali mandato, non ita liquet; vide me q. 504. num. 3. Conferre illum posse beneficia ex fundatione debita conferri certæ personæ, aut certo generi personarum, secus, si conferri debeant in genere personis qualificatis; v. g. Magistris, docent cum Garc. p. 5. c. 3. num. 76. juncto num. 90. contrarium de utroque docent alii. De quo vide dicta supra de Capitulo; plus enim non potest Vicarius quam illud in hoc puncto. Illud certum, quod collationes liberas competentes Capitulo etiam Sede plena facere nequeat Sede vacante sine expresso & speciali ejus mandato. Vigesimo tertio resignationes beneficiorum spectantium aliis privative ad collationem Episcopi simpliciter factas recipere potest; egere eum ad hoc speciali mandato, quemadmodum Vicarium Episcopi censent aliqui. Quod facilius admittendum de resignationibus beneficiorum pertinentium privative ad collationem Capituli Sede plena, vel etiam simultaneè ad Episcopum & Capitulum, aut etiam quorum resignationes recipere pertinebat ad Capitulum Sede plena. De cætero resignationes factas permutationis gratiâ recipere nullatenus potest; vide q. 605. Vigesimo quarto vacante parochia, Vicarius Capituli potest ei providere de idoneo Vicario cum assignatione congruæ portionis, proponere edicta, examinare per concursum, deputare examinatores in Synodo, facere omnia, quæ juxta Trident. Sess. 24. c. 18. præcedere debent parochiæ collationem usque ad electionem dignioris, & quidem sine speciali mandato Capituli; cùm ad ea, quæ spectant ad jurisdictionem ordinariam, præsertim necessariam, ultra generalem commissionem Vicariatus non egeat speciali, quin & hæc ipsa Capitulum per se exercenda reservare nequeat, sed necesse habeat facere ea per Vicarium suum juxta dispositionem Trid. de quo vide dicta ex C. de Luca & Fagn. de Capitulo supra, ubi etiam, quid illud possit quod ad deputationem vel subrogationem examinatorum, id enim etiam poterit Vicarius Capituli. Vigesimo quinto potest Vicarius beneficia à collapsis Ecclesiis transferre non secus ac Episcopus. Fagn. in c. his qua. de major. & obed. num. 56. Vigesimo sexto quod ad faciendas uniones beneficiorum, easque rescindendas; item ad dismembrationem & extinctionem eorum potest, quod potest Capitulum, cujus tamen ad hæc consensu, si non speciali commissione, egere videtur. Vigesimo septimo non potest Vicarius sibi substituere alium, nisi ad modicum tempus & ex urgente causa, neque nimis frequenter, nec sine speciali Capituli mandato juxta Ventrigl. Riccium, Vulpe. &c. contrarium quod ad hoc postremum, nimirum posse illum substituere sibi alium sine speciali ullo mandato ad breve tempus & ex urgente causa, sentientibus Barbof. jur. Eccl. l. 1. c. 32. num. 56. Dian. loc. cit. num. 62. quin & indifferenter sine ulla speciali licentia id eum posse, refert Garc. p. 9. c. 9. num. 23. decisum à S. Cong. possit quoque, si Vicarius detentus infirmitate

aliove impedimento non substituerit sibi alium, substituere illum Capitulum, cujus potestas mortuo Vicario non expiraret. Barbof. loc. cit. vide me q. 611. Reliqua de Vicario Capitulari, puta de ejus præcedentia, salario, reddendaque ratione administrationis &c. quia non ita huc spectant, vide apud me in Vicario Episcopi u. quæst. 612. ad quæst. 621.

Quæst. 103. Quando nam expiret officium Vicarii Capitularis & vacantia Sedis?

1. Resp. ad primum primum: Si Capitulum, prout potest, ad tempus determinatum deputavit Vicarium, hoc elapso, utique expirat administratio & officium Vicarii. Dian. p. 8. ir. 4. resol. 69. in fine. Paxford. l. 12. tit. 2. num. 58. cum communi. Si verò sine temporis præfinitione, sive à Capitulo, sive Metropolitanò constitutus, expirat ejus officium, quam primum Sedes definit esse vacans. Dian. Paxford. LL. cit. Barbof. loc. cit. num. 43. quia ex tunc terminatur Capituli jurisdictione, seu definit ea esse habitualiter penes Capitulum.

2. Resp. ad primum secundò: Definit quoque ejus officium, dum à Capitulo avocatur seu removetur. An verò ad nutum Capituli, durante vacantia Sedis sit amovibilis, controvertitur inter AA. Possit eum amoveri toties quoties, non tantum, quando inter Capitulum & Vicarium in prima ejus deputatione super tali amovibilitate fuit conventum, verum etiam præscindendo à tali conventionem, tenent Garc. p. 5. c. 7. num. 23. citans pro hoc claram S. Cong. declarationem. Jo-And. in c. ult. de offic. Vic. in 6. num. 15. ubi is indicat, posse Vicarium, etiam ad tempus constitutum, eo nondum elapso, revocari. Meroll. Tom. 3. d. 7. du. 27. num. 166. Farinac. &c. Quin & posse eum revocari, ubi fuisset interpositum juramentum de non revocando, tenent Sbroz. de off. Vic. l. 3. quæst. 32. num. 7. citatis Pavin. de potest. Cap. Sed. vac. p. 2. quæst. 10. num. 1. & aliis; item Zerol. pr. Episc. p. 1. v. Vicarius §. 21. expressè addens: etiam sine causa, & citans Selv. Rebuff. &c. item Azor. Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 37. quæst. 18. Fundamentum horum AA. est, quod Vicarius Episcopi semper censetur constitutus ad libitum, etsi id in commissione Vicariatus non exprimitur; poteratque etiam Capitulum ante Tridentinum amovere ad libitum suum Vicarium, adeoque id ipsum possit adhuc; cùm Trident. circa hoc nihil determinaverit. Nihilominus contrarium, sive non posse Capitulum sine justa causa amovere suum Vicarium, tenent Diana loc. cit. Barbof. loc. cit. num. 47. citans Riccium in collectan. p. 5. collect. 1062. in fine. Raguic. de voce Can. in Capit. quæst. 37. num. 4. addens etiam ex Sellio in select. c. 19. num. 43. id verum esse, etiam si in nominatione Vicarii dictum fuisset, quod revocare posset ad libitum; item Pirh. ad tit. de off. Vicar. num. 79. Fagn. in c. his qua. de major. & obed. num. 70. Pignat. Tom. 1. conf. 23. num. 10. Paxford. Vulpe, his quatuor unâ cum Barbof. testantibus, sic rescriptum à S. Cong. proposita negot. Episcop. & Regular. de anno 1631. Multo minùs juxta hanc sententiam negativam Vicarius Capitularis deputatus

putatus à Metropolitano in casu negligentia Capituli removeri potest à Capitulo, utpote à quo jurisdictionis exercitium non accepit Barbof. *loc. cit. num. 48.* de cetero iustæ causæ amovendi Vicarium sunt, dum negligens est in suo officio, vel in eo prævaricaretur illud malè gerendo; si appareret insufficientis. PaxJord. *loc. cit. num. 14.* plures istiusmodi causas magis in specie enumerat Pignat. *loc. cit. vide q. 617.*

3. Resp. ad secundum: Quamvis, quantum est de jure communi, vacatio Sedis duret solum usque ad confirmationem, institutionem seu provisionem novi Prælati à Sede Apostolica factam, ita ut per eam acquiratur novo Prælati exercitium jurisdictionis, etiam ante apprehensam possessionem. Gonz. *ad Reg. 8. gl. 15. §. 2. num. 80. & 81.* & ex eo PaxJord. *loc. cit. num. 48.* citans Pavin. Felin. &c. item Garc. *p. 5. c. 4. num. 243. & 250.* citans Selv. Covar. Lambert. &c. ego in *for. benef. p. 2. q. 668. num. 3.* hodieum tamen post *Extravag. injuncta. de elect. inter commun.* non prius cessat vacatio Sedis, quam si confirmationis, institutionis, provisionis Apostolicæ literæ sint expeditæ, & actualiter præsentatæ ipsi Capitulo, ita ut etiam si istorum omnium; nimirum factæ in Consistorio propositionis, promotionis literarumque expeditionis certam scientiam haberet Capitulum, adhuc non sufficeret ad amissionem jurisdictionis, sed insuper opus sit actuali ostensione & præsentatione dictarum literarum. Gonz. *loc. cit. num. 83.* PaxJord. *num. 49.* citans alios. Barbof. *de potest. Episcop. alleg. 54. à num. 160.* qui etiam asserunt, non aliter intelli-

gendos DD. dum simpliciter dicunt, quòd literæ debeant esse expeditæ. Quin & seclusa cit. Extrav. æquum videtur, non posse Episcopum se ingerere administrationi & jurisdictionis exercitio, nisi dictis literis præsentatis Capitulo, de cuius præjudicio agitur, & de tollenda ei administratione & jurisdictione, habita ab eo Sede vacante. Quòd si tamen alicubi adest consuetudo legitime præscripta administrandi ante confirmationem electi Prælati, interea dum ea petitur aut expectatur, aut etiam id vi juris communis, nempe *c. nihil. de elect.* concessum Episcopis Prælatisque aliis Papæ immediatè subjectis, in concordia electis, valde ab Urbe remotis, etiam necdum ante eorum confirmationem, seu priusquam habeant jus in re dici nequeat Sedes plena, hoc ipso tamen, quòd concessam sibi à tali consuetudine, aut jure communi, vel etiam ab ipsa Sede Apostolica jurisdictionem usurpent, & administrare incipiant, cessat jam ea in Capitulo ejusque Vicario; neque is aut illud se amplius immiscere potest, cessante etiam ratione, ob quam ad Capitulum Sede vacante eam devolvi jura voluerunt; nempe ne Ecclesiæ gubernatore & administratore destituta grave damnum patiantur. Cessabit quoque Capituli & Vicarii potestas, dum à Sede Apostolica Ecclesiæ vasantis administratio committeretur alicui; cum talis sit loco Pastoris, possitque omnia in spiritualibus & temporalibus, quæ verè provifus, quin & creare possit (& juxta Sbrozium debeat) alium Vicarium, non secus ac ipsum Capitulum. PaxJord. *l. 12. tit. 2. num. 59.*

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælati sine Consensu Capituli.

Quest. 104. An Consilium Capituli exquirere debeat Episcopus aliusve Prælati?

Resp. Exquirere in pluribus consilium Capituli tenetur Prælati, ita ut, dum jura actum geri volunt cum consilio Capituli, is sine eo requisito & congruo tempore expectato gestus (etiam si de cetero gestus cum consilio aliquorum confratrum seu Capitularium) sit irritus; ut constat ex *c. novit. h. t.* Barbof. *ibid. num. 1.* & *c. quanto. eod.* Cujus tamen intellectus potest esse duplex, dum ibi dicitur: *Cum eorum consilio vel senioris partis:* nimirum ut sufficiat, adhiberi consilium senioris partis, seu Capitularium eorum, qui magis idonei sunt ad dandum consilium; qui quidem intellectus indubitatus, si consuetudo hunc modum consultandi confirmet, ut inquit Pirh. *h. t. num. 18.* Vel ut non sufficiat consilium Senioris partis, nisi etiam eadem pars sit major Capituli; cui intellectui favet jus commune, juxta quod, dum ad actum aliquem expediendum requiritur consensus (idem videtur de consilio) in-

telligi debeat de parte majore Capituli. Et hæc quidem de requirendo consilio Capituli juxta jus commune; ubi enim adest consuetudo legitime præscripta pro libertate Prælati tractandi negotia Ecclesiæ, exercendique jurisdictionem sine consilio Capituli, hæc valida erit; cum etiam æquiparetur privilegio juxta *c. ea noscitur. h. t.* junctâ *Gl. ibidem. v. libertate. & c. 3. de consuetud. in 6.* & *c. cum Ecclesia Vulterana. de elect.* Barbof. *in c. ea noscitur. num. 1.* Pirh. *h. t. num. 15.* Engels. *h. t. num. 5.* ubi citans pro hoc Gratian. *discep. for. c. 10. num. ult.* & Zerol. *pr. Episc. p. 1. v. Capitulum. numer. 8.* asserit, consuetudine vel præscriptione passim inductum, ut in plerisque casibus Episcopi procedere valeant sine consilio vel consensu Capituli Lambert. etiam *de jurep. p. 3. l. 2. q. 1. c. 4.* apud Garciam *de benef. p. 5. c. 4. §. 2. num. 139.* prout refert Reiffenst. *h. t. numer. 27.* dicat; hodieum dici posse, quòd totus hic *tit. que sunt à Prælat.* recesserit ab aula. Quibus tamen duorum postremorum dictis contradicere satis videntur textus pro responsione citati. Non tamen huic exceptioni obstat, quòd *cit. c. novit.* dicatur, esse contra honesta-

tem.